

www.e-rara.ch

Novum florilegium poeticum, ordine alphabetico digestum

Lagnier, Pierre

Tiguri, 1664

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-13810>

P.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

Otium.

OTia corpus alunt. animus quoque pascitur illis.
Immodicus contra carpit utrumque labor. *Ovid.*

OTia corrumpunt animos, pectusque virile:
Tristius ignava nil tibi segnitia. *Iovius.*

Corrumpunt forti celsas cum pectore mentes
Otia plumoso desidiosa toro. *Andrel.*

OTia fac vites studiis additus honestis,
Si bene vis vitæ consuluisse tuæ. *Anon.*

OTia materiam vitiis, causasque ministrant,
Et multis grandi sæpe fuere malo. *Anon.*

Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus?
Ut capiant vitium, ni moveantur aquæ? *Ovid.*

Quo te cunque die nil sancti egisse videbis,
Hunc tibi vel penitus deperiisse puta.
Ista nec in minimis ponas dispendia damnis:
Æte potest nullo vel breve tempus emi. *Pictorius.*

Si tibi perpetuò vigil est ò cura salutis,
Otia perpetuò deliciosa cave.
Hostis apricantem quoties videt inferus hostem,
Semper victrici currit ad arma manu.
Sed timet implicitum manuúmve pedúmve laborem,
Aut meritis vigili sollicitæ studio. *Idem.*

P.

Parasitus.

Qui socius mensæ est, verum ne reris amicum:
Tolle epulas, nosces quàm tibi fidus erat. *Ovvenus.*

Dum mecum pingui frueris, Parasite, Falerno
Pluribus & vitæ distillis illecebris:

Primus

Primus amicitiae pandis sacraria nobis,
 Primus Romanam qui probet ore fidem,
 At paulum offenso cum Jupiter intonat axe,
 Alterius subito fercla cibosque petis.
 Non, parasite, tui facimus popysmata tanti,
 Ut nostrum lingas amplius ore salem.
 Excute nunc alios; stomacho sat favimus illi:
 Hic Pylade ingenio, non parasito opus est. *Neuhuf.*

Parentes.

Sit licet in natos facies austeram parentum,
 Aequa tamen semper mens est, & amica voluntas. *Mant.*
 Qui cupis esse senex, charos venerare parentes:
 Quae patri facies, filius illa tibi. *Ovvenus.*
 Nestoris annosi vivet feliciter annos,
 Auctores vitae qui reverenter amat. *Anon.*
 Non magis exornat prolem res ulla, parentes
 Atque suos, si quo debet honore, colat:
 Haec dilecta suis erit, & dilecta Tonanti,
 Et vivet fato prosperiore diu. *Anon.*

Parricida.

Dignus morte perit, patrios qui inquit in annos
 Praecipitat matris fata necesseque sua.
 Sævior est scopulis, Busiride sævior ipso,
 Hircanâque magis Tigride virus alit.
 Dii! Patris & patriae caedem maestate nefandam,
 Tanti ne superet fama vel umbra mali. *Neuhuf.*

Parsimonia.

Esse cupis frugis? facile est; nam panis, & unda
 Praedives dapibus quilibet esse potest. *Ovvenus.*
 Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus. *Horat.*
 Divitiae grandes homini sunt, vivere parcè
 Aequo animo, neque enim est unquam penuria parvi.
 (Lucr.
 lagen-

INGentes modico porcus componit acervos
Tempore, continui mole laboris, opum. *Anon.*

X CONTRAHE: de multis grandis acervus erit. *Ovid.*

Parvum & modicum.

VIVitur exiguo melius, natura beatis
Omnibus esse dedit, si quis cognoverit uti.
Hæc si nota forent, fruëremur simplice cultu:
Classica non fremerent, non stridula fraxinus iret:
Non ventus quæteret puppes, non machina muros. *Claud.*

X FLUMINA magna vides parvis de fontibus orta,
Plurima collectis multiplicantur aquis. *Ovid.*

FORsitau hæc aliquis; nam sunt quoque, parva vocabit;
Sed quæ non profunt singula, multa juvant. *Idem.*

TU tantum numero pugna, præceptaque in unum
CONTRAHE: de multis grandis acervus erit. *Idem.*

X AT vos exiguo pecori furësque lupique
PARcite: de magno est præda petenda grege. *Tibull.*

DUM novus in viridi coalescit cortice ramus,
CONcutiat tenerum quælibet aura, cadet.
Mox etiam ventis spatium durata resistit,
firmaque adoptivas arbor habebit opes. *Ovid.*

Patientia:

PACIS amans lites omnes fuge; vince ferendo,
Hic potior gravis strage triumphus erit. *Chytraus.*

X FERRE decet patienter onus? quod ferre necesse est;
Qui jacet invitus, durius ille jacet. *Idem.*

— DUM impatientia corpus
INstruit ut nulli cupiat cessisse labori, *Claud.*

POSSE pati facile est, tibi nisi patientia desit,
Proximus ex facili gaudia ferre licet. *Ovid.*

U^T tua majori crescat patientia laude,
Non audit subito vota petita Deus. *Anon.*

T^Ristia, qui patetis, perfer, fors tristia solvet.
Quod si non faciat fors, tibi mors faciet. *Morus.*

X^Quod tibi contigerit, patienter ferre memento:
Nam certum, fieri numine cuncta Dei. *Orvenus.*

X^Nobile vincendi genus est patientia: vincit
Qui patitur: si vis vincere, disce pati. *Anon.*

X^Perfer, & obdura, vitæ patientia prodest:
Omnibus antidotum proferet illa malis. *Auon.*

Patria.

E^St domi ubique bonus, sapiens non exsulat usquam;
Omne solum forti patria, & omne salum.

Exsilium est, ubicunque male est: patria est, ubi contra:
Patria ubique bonis, exsiliumque malis. *Orvenus.*

I^Nfelix patria est, pueros ubi putpura vestit;
Atque ubi præcedit dives honore bonos. *Idem.*

O^Mne solum forti patria est. Fortissimus ille est,
Cui cælum patria est, atque solum exsilium est. *Anon.*

C^œlestem ad patriam Christo redimente vocatus,
Vitam labentis temporis hospes agit.

Dumque ad promissam requiem non per sua tendit,
Mundana patitur multa pericla viæ.

Quæ nunc obsessa adversis, nunc plena secundis;
Aut frangit tepidos, obligat aut dubios.

Inter quos laqueos currentem ad gaudia vitæ
Non capiet mundus, cui vita Christus erit. *Anon.*

Pauper. Paupertas.

S^Obria paupertas multorum causa bonorum est:
Hanc tamen, ut pestem, plurima turba fugit. *Orven.*

H^Aud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi, ——— *Iuvenal.*

- * **P**Auper es, at dives Deus est; timor omnis abesto.
 Qui dat magna, queat non dare parva Deus? *Chytr.*
- C**ui contemptus inops, illi temnendus Jesus,
 Qui fuit in terris paupere pauperior. *Anon.*
- D**ivitibus pravisille antefendus egenus,
 Rimatur vitæ qui melioris iter. *Anon.*
- * **P**aupertas acuit sensus, animi excitat æstum:
 Omnia paupertas ingeniosa docet. *Borbon.*

Pax.

- P**ace frui si vis, abige oblectamina carnis:
 Pacem, mens recti conscia, semper habet. *Anon.*
- * **V**ince voluptates, animo pax firma manebit,
 Seu te læta juvent; seu fera fata premant. *Anon.*
- * **C**andida pax homines, trux decet ira feras. *Ovid.*
- I**nterea pax arva colat, pax candida primùm
 Duxit araturos sub juga curva boves.
 Pax aluit vites, & succos condidit uvæ,
 Funderetut nato testa paterna merum.
 Pace bidens, vomérque vigent: at tristia duri
 Militis in tenebris occupat arma situs. *Tibull.*
- S**ub juga bos veniat, sub terras semen aratas:
 Pax Cererem nutrit, pacis alumna Ceres, *Ovid.*

PAx optima rerum,

Quas homini novisse datum est: pax una triumphis
 Innumeris potior: pax custodire salutem,
 Et cives æquare potens ——— *Sellius Ital.*

PAx plenum virtutis opus, pax summa laborum:
 Pax belli exacti precium est, preciumque pericli:
 Sidera pace vigent, consistunt terrea pace:
 Nil placidum est sine pace Deo, nec munus ad aram. *Mont.*

O Patria! ò Divum tellus sanctissima. quisnam
 Donet ut æternos te fruar ipse dies?
 Lux tua nocte caret, luctu tua pura voluptas,
 Pax tua non belli tristitia damna timer.
 At contrà hic cæcis horrescunt cuncta tenebris,
 Sævæque cum misero bella dolore vigent.
 Nam neque pax cuiquam secum est, dum carne gravatur:
 Aut si pax, bello pax ea deterior. *Anon.*

Peccatum.

O Mne animi vitium tantò conspectius in se
 Crimen habet, quantò major qui peccat habetur. *Iuv.*

SÆpe levant pœnas, ereptaque lumina reddunt,
 Cùm bene peccati pœnituisse vident. *Ovid.*

Adsit

Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas,
 Nec scutica dignum horribili scetere flagello. *Horat.*

✕ O Derunt peccare boni virtutis amore. *Idem.*

O Cius ite viri, & nascentem extinguite flammam,
 Ne seræ redeant post aucta pericula curæ. *Silius Itat.*

✕ Quid juvat errores mersa jam puppe fateri? *Claud.*

✕ T Urpe quid ausurus, te, sine teste, time. *Auson.*

M Ulta miser timeo, quia feci multa protervè,
 Exemplique metu torquor ipse mei. *Ovid.*

P Ecce est, cùm quis loquiturve, cupitve
 Æterni contra iussa verenda Patris. *Biges.*

F Oritè viros, quæ tu facies, malefacta latebunt:
 Prætereunt summum nec meditata Deum. *Alciatus.*

Q Uid latere miser? peccati est nulla voluptas:
 Gaudia plus aloës, quàm tua mellis habent.

Qui prohibere potest, causam tribuisse videtur
 Peccandi, quicquid non vetat illicitum.
 Peccatum est deforme malum, transgressio legis
 Divinæ: & citius dixeris esse nihil.
 Aspiciat lucem, qui vult damnare tenebras:
 Qui carpit mores, labe carere decet. *Verinus.*

Si Proceres peccant, si peccavere parentes,
 Exemplo & sceleri poena paranda duplex.
 Sæpe patris mores imitatur filius infans:
 Qualis erat mater, filia talis erit.
 Casta refert castæ genitricis filia mores,
 Lascivæ nunquam filia casta fuit.
 Et verbo, & facto parvis sit regula natis,
 Optima sitque omni tempore norma pater.
 Altera natura est habitus; quam junior artem
 Perdisces, tollet nulla senecta tibi. *Orvenus.*

Pecunia.

Diversos hominum videam cum sparsa per artes
 Ingenia, est cunctis ars tamen una viris.
 Omnibus idem animus, gratos sibi querere nummos.
 Omnis inexhaustas undique postcit opes.
 Nullus adest priscae virtutis cognitor, ulla
 Relligio superos vix putat esse Deos.
 Nimirum ingenti congesta pecunia curâ
 Est Deus: humanas nunc regit ipse vices. *Anon.*

XPrima peregrinos obscœna pecunia mores
 Intulit, & turpi fregerunt secula luxu. *Juven.*

Perfidia,

XIllud amicitiae sanctum, & venerabile nomen
 Nunc tibi pro vili, sub pedibusque jacet. *Ovid.*
Tu quoque nostrarum quondam fiducia rerum,
 Qui mihi confugium, qui mihi portus eras.
 Tu quoque suscepti curam dimittis amici,
 Officii que pium tam citò ponis onus.

Sarcina sum fateor, quam si tu tempore duro
Depositurus eras, non subeunda fuit. *Idem.*

IN caput alta suum labentur ab æquore retro
Lumina, conversis solque recurret equis;
Terra ferret stellas, cœlum scindetur aratro;
Unda dabit flammæ, & dabit ignis aquas:
Omnia naturæ præpostera legibus ibunt,
Parsque suum mundi nulla tenebit iter:
Omnia jam fient, fieri quæ posse negabam,
Et nihil est, de quo non sit habenda fides.
Hæc ego vaticinor, quia sum deceptus ab illo,
Laturum misero quem mihi rebar opem. *Idem.*

Perjurium.

AH miser! etsi quis primò perjuriam celat,
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.
UT valeant, aliæ ferrum patiuntur, & ignes:
Fert aliis tristem succus amarus opem.
Nil opus est istis, tantùm perjuriam vita,
Tæque simul serva, mæque, datamque fidem. *Ovid.*
Sunt qui in fortunæ jam casibus omnia ponant,
Et nullo credant mundum rectore moveri,
Naturam volvente vices & lucis, & anni;
Atque idè intrepidam quæcunque altaria tangunt. *Juvenalis*

Persecutio.

Quod plerumque mali in sanctos sævire sinuntur:
Quodque bonis pravi sæpe nocere queunt:
Absque Dei nutu non fit, qui corda suorum
Hic etiam bellis glorificanda probat.
Crescunt virtutum palmæ, crescuntque coronæ,
Mutantur mundi prælia pace Dei. *Anon.*

Petrus.

AN Petrus fuerit Romæ, sub iudice lis est:
Simonem Romæ nemo fuisse negat. *Orvenus.*

Philantia.

Crimina qui cernunt aliorum, nec sua cernunt;
Hi sapiunt aliis, desipiuntque sibi. *Orvendas.*

Dilige vicinum veluti te diligis ipsum.
Sic, inquis, facio; proximus ipse mihi. *Idem.*

Pietas.

Imprimis venerare Deum: venerare parentes:
Et quos ipsa loco tibi dat natura parentum. *Muret.*

Atque huc incumbam nervis, & pectore toto,
Ut magis atque magis superet mihi gratia virtus,
Augescatque piæ divina scientia menti. *Anon.*

Quicquid agis, generose puer, cole; Pallada sacram
Et pietas artes condiat alma tuas. *Neuhuf.*

Vive piè: colè justitiam: reverere Jehovam:
Non deerunt factis præmia digna tuis. *Anon.*

Insanire putat mundus, quos mille labores,
Pauperiemque videt ferre, gravemque famem:
At contra justum mundum, quod ubique sequatur,
Quæ carni arrident, mente carere putant.

Sic igitur pugnant animis mundusque, piusque:
Nec, qui nunc litem finiat, ullus adest.

▲st illam Christus dirimet, cum venerit olim,
Ac mundo vincet sancta cadente manus. *Anon.*

Pœnitentia.

Emendare velis infectos crimine mores,
Despicient animum Numina nulla tuum. *Anon.*

Ipsa perennis huic contingat gloria vitæ;
Quem verè sceleris pœnitet ante sui. *Anon.*

Sedulus usque cave quidquam committere, cuius
Postea te serò pœnituisse queat. *Anon.*

Et piget, & pudet, & tædet vixisse nocenter;
Cujus vel solum me meminisse necat.

Nec superest aliud, pessum solamen eunti,
Quam spes in merito, Christe Jehova, tuo. *Anon.*

Quem sceleris, noxæque gravis bene poenitet, illi
Perpetuus lacrymis obruit ora dolor.

Nam qui post lacrymas ad inania gaudia sese
Transtulit, ex lacrymis commoda nulla tulit.

Qui sua nunc fletu plectit, sævôque dolore
Crimina, nunc risu diffluit immodico.

Est velut is, lacrymis qui cum celebravit amici
Funera, mox epulis nubila mœsta fugat. *Anon.*

Poëta. Poësis. Carmen.

Adde quod insidiæ sacris a vatibus absunt,
Et facit ad mors ars quoque nostra bonos.

Nec nos ambitio, nec nos amor urget habendi,
Contemto colitur lectus & umbra foro. *Ovid.*

Silicet ingenium placida mollitur ab arte,
Et studio mores convenienter eunt. *Idem.*

Historibus atque Poëtis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas. *Horat.*

Aut prodesse volunt, aut delectare Poëtæ,
Aut simul & iucunda, & idonea dicere vitæ. *Idem.*

O mne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo. *Idem.*

Naturâ fieret laudabile carmen, an arte
Quæsitum est. Ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid profit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, & conjurat amicè. *Idem.*

Exit in immensum fœcunda licentia vatum
Obligat historicâ nec sua verba fide. *Ovid.*

Præco Verbi divini.

Nuncius auroræ, prius ut se suscitaret ipsum,
Quam reliquos, alas explicat antè suas:

Gallorum ritu, verbi sic præco feraris,
Ut moveas alios, tu moveare prius. *Orvenus.*

Premia.

SIt delectant aternæ præmia vitæ,
Magna quidem, nec te terreat ergo labor.

Præsens, præteritum, & futurum.

AC Orrige præteritum, præsens rege, cerne futurum. *Anon.*

Princeps.

REgia, crede mihi, res est, succurrere lapsis. *Ovid.*

SIt piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox,
Et doleat, quoties cogitur esse ferox. *Ovid.*

PRincipis est virtus maxima, nôsse suos. *Mart.*

TU civem, patrémque geras, tu consule cunctis:
Nec tibi, nec tua te moveant, sed publica vota. *Claud.*

PRincipibus placuisse viris, non ultima laus est. *Horat.*

Principium,

PRincipium Deus ipsum: in principio Deus ipso,
Et post principium, principiôque prius.

Principium sine principio est: à principio isto
Principium capiunt omnia principia. *Orvenus.*

AD tua facta voca divini Numina Patris,
Et sit principium Christus ubique tibi. *Anon.*

OMne quod excellens opus, & sublime futurum est,
Difficiles ortus habet, incrementâque tarda. *Mant.*

PRincipiô studii radix inamœna videtur:
Sed profert dulces parvo post tempore fructus. *Idem.*

SEd tamen est artis tristissima janua nostræ,
Et labor est unus, tempora prima pati.

Aspicias ut prensos urant juga prima juvencos?
Ut nova veloce in cingula lædat equum? *Ovid.*

Incipe dimidium facti est cœpisse, superis
Dimidium, rursus hoc incipe, & efficies. *Auson.*

Probitas.

Vir sapiens plerumque bono est sapientior; esto:
Dummodò sit melior vir sapiente bonus. *Ovvenus.*

Sufficit, & longum probitas perdurat in ævum,
Pérque suos annos hinc bene pendet amor. *Ovid.*

Procrastinatio.

Cras, inquis, faciam; concessãque labitur hora:
Fac hodie; fugit hæc non reditura dies. *Ovvenus.*

Prodigus.

Rhetoricæ studiosus ego sum, Prodigus inquit:
Porcus ait, Logicæ sum studiosus ego.
Semper clausa manus Logicam designat avari:
Prodiga Rhetoricam semper aperta manus. *Ovvenus.*

Proditor.

Heu, heu! quàm brevibus pereunt ingentia causis.
Imperium tanto quæsitum sanguine, tanto
Servatum, quod mille ducum peperere labores,
Quod tantis Romana manus contexit annis,
Proditor unus iners angusto tempore vertit. *Claud.*

Propheta, Poëta.

Illi de rebus prædicere vera futuris;
Hi de præteritis dicere falsa solent. *Ovvenus.*

Prosperitas.

Iuxuriant animi rebus plerumque secundis;
Nec facile est æquã commoda mente pati. *Ovid.*

Tu quoque fac timeas, & quæ tibi læta videntur,
Dum loqueris, fieri tristitia posse puta. *Idem.*

Nescia mens hominum fati, sortisque futuræ,
Et servare modum rebus sublata secundis. *Virg.*

X **H**eu cæcæ mentes, tumefactaque corda secundis! *Siliva.*

Quid bona, quid vanos mundi miraris honores?
Quid mala, quid mundi dedecus ipse times?

Fac superæ mireris opes, & commoda vitæ:

Fac mala pertimeas, quæ niger Orcus habet.

Cætera (sive tibi fortuna sit usque noverca,

Sive sit illa parens) somnia vana puta.

Somnia sunt, quæcunque fluunt, quæcunque repente,

Ut veniunt, abeunt labilis instar aquæ. *Anon.*

Providentia.

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,

Curarent superi terras, an nullus inesset

Rektor, & incerto fluerent mortalia casu:

Nam cum dispositi quæsissem fœdera mundi,

Præsci ipsosque mari fines, annique meatus.

Et lucis, noctisque vices: tunc omnia rebor

Consilio firmata Dei, qui lege moveri

Sidera, qui fruges diverso tempore nasci:

Qui variam Phœben alieno jussit igne

Compleri, solémque suo, porrexerit undis

Littora, tellurem medio libraverit axe. *Claud.*

Prudentia.

Utilis in rebus prudentia semper agendis,

Una est virtutum ludi magistra trium.

Nempe bonum in vita quid sit, prudentia monstrat:

Ut Logice, verum quid sit in arte, docet. *Ovrenus.*

Prudentis cavisse viri est mala, ferræque fortis;

Ut mala non metuat iste, nec ille ferat. *Idem.*

Prætere a solers teneat prudentia fasces,

Quæ sola in rebus sit cynosura tuis.

Prosperat hæc omnes felici numine casus,

Et certâ humanas res ratione regit. *Neuhuf.*

X **O** prima consilium res est cunctantis: at ultio

Præcipitis multos pœnituisse liquet, *Meliss.*

Maturet mora consilium; præcox quia, cujus
Pœniteat, comitem semper habere solet. *Anon.*

Sperniturpe lucrum prudens, ædêsque superbos
Spernit inauratas marmoreâsque trabes.

Spernit ebur, gemmas, argentum, aulea, tapetes:

Spernit opes vastæ luxuriemque domus;

Spernit odoratos vestes aurôque trilices:

Spernit delicias, Cypris, amorque tuas.

Spernit compositæ damnosa impendia mensæ,

Spernit res, hodie quas rude vulgus amat.

Spernit & invidiam sceleratæ murmura linguæ:

Spernit clamosi jurgia vana fori.

Omne malum, breviter, prudens spernitque fugitque,

Virtutemque bonæ gaudia mentis habet.

Contentusque una hac mortaleis ridet honores,

Inque humili patiens nescit egere casa.

Omnia fert, & se casus componit ad omnes:

Quod loquitur linguâ, pectore sentit idem. *Borbon.*

Puer. Pueritia.

Diversos diversa juvant, non omnibus annis

Omnia conveniunt, res prius apta nocet.

Exsultat lenitate puer, gravitate senectus,

Inter utrumque manens stat juvenile decus.

Hunc tacitum, tristemque decet, fit clarior ille

Lætitiâ, & linguæ garrulitate suæ. *Cornel. Gall.*

X Flexilis, ut ramus, puer est, facilisque doceri;
Cereus in mores degenerare malos. *Borbon.*

Pulchritudo.

X O formose puer, nimium ne crede colori:
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur. *Virg.*

Ista decens facies longis vitiabitur annis,

Rugâque in antiqua fronte senilis erit;

Injicietque manus formæ damnosa senectus *Ovid.*

Quæ strepitum passu non faciente venit.